



Disputatio medica inauguralis de catarrho

<https://hdl.handle.net/1874/341832>

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE

CATARHO,

QUAM

FAVENTE DEO OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. HERMANNI WITSII,

S. S. Theol. Doctoris, ejusdemque in Inlyta Academia Ultrajectina
Professoris Ordinarii, & Ecclesiæ ibidem Pastoris facundissimi,

UT ET

Amplissimi Senatus Academicī Consensu & Nobilissima

Facultatis MEDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

Publico examini subjicit

ISAACUS REESSEN, Embriacâ Cliv.

Ad diem 19. Aprilis, loco horisque solitis.



ULTRAJECTI,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clo loc LXXXVI.

Clarissimis atque expertissimis VIRIS

D. JACOBO VALLAN,
M. D. in celeberrima hac Ultrajectina
Academia Facultatis Medicæ Professori
Ordinario , practico solidissimis ex fun-
damentis solidissimo , felicissimo , Præ-
ceptor ac Promotori quoad vivam su-
spiciendo , venerando.

D. JOHANNI MUNNICKS,
M. D. Reipubl. Ultraject. Poliatro ex-
perientissimo. Anatomiae & Botanices
Professori ordinario , atque in his ductori
suo facillimo , solertissimo.

In debitæ gratitudinis testimonium

Theses hæc Inaugurales

Offert & Dedicat

ISAACUS REESSEN,
Auctor.

PROOE M I U M.



D quod omnes ab omni aeo artifices, in iis circa que versantur manu objectus experti sunt, & indies experientur, illud non minus iis evenire quibus cura humani demandatur corporis, extra omne dubium videtur, quod sc. eo facilius & minori cum erroris damnoſi periculo, sua trahent objecta, & desiderata cum & in iis efficiant, quo magis perspectam habuerint sive longo uſu, & continua experientia, sive ratiocinii, eorum si non naturam intimam, proprietates saltem, & effecta qua ex quorundam occurſu ſunt. Atque hujus rei probe conſciū mortalium antiquissimi, & priſci jam tum Medici, ſedulo at- tendendum ſibi proponuerunt ad ea, qua ab nſu, aut intermissione, hujus illiusve ſen alimenii, ſen medicamentii, alteriusve rei nonnaturalis, ſanis eveniebant vel agrotis commoda, vel nocimenta; atque hec ſimili data occaſione in uſum vocan- tes, à variis ceriè humanum genus calamitatibus, aut præſervarunt, aut libera- runt, uſu ſolo & neceſſitate edocti, etenim initio rerum

Per varios uſus artem experientia fecit,

Exemplo monſtrante viam — — —

Quo quidem principio, ſubinde quorundam ſalute, allorum verò interitu, pernicioſa à ſalutaribus diſcernens, ortum duxit ars Medicina, paucioribus tum quidem compræhensa præceptis, dum uī veriſimile putem cum C. Celſo, inter nonnulla auxilia adverſa valetudinis, plerumque tamen illa bona contigit ob bo- nos mores, quos neque desidia, neque luxuria vitiarunt. Aſt poſtquam hec, cum aliis, mortalium affixerunt corpora, & ingens iſpis ſuccrevit illico morborum cumulus, haec tenus inventa non ſufficere arbitrati, viri ſocietatis humana commo- dis unice ſtudentes, rerum ſcrutando, corporumque naturam, partes & affectiones, (utpote quorū niſi ratione comperta, non ſatis potentem eſſe uolum exiſti- marunt m. ritò) plura adinvenerunt, & quod rei caput eſt, posterorum ducti amo- re, Charis (quas utinam poſſideremus omnes!) maxima cum diligentia manda- runt. Palmam hic reliquis praripuit vir Aurore eodem C. Celſo & arte & fa- cundiā inſignis omnisque Medicinæ parens, Hippocrates Cous, Cujus (ne anti- quiores producam Herophilum, Erasistratum &c. quorum ſcripta nobis fata nega- runt) induſtriam ſecuti ſunt viri inſignes C. Celsus Aretaeus, Cl. Galen. Pergam. P. Egineta. A. Trallian. A. Montanus. J. Fernel. H. Mercurialis &c. ad noſtram etatē propius accedentes, quorum labore indefesso ad altum perfectionis cacumen perducta eſt ars noſtra. Multa tamen posteris invenienda ſe reliquifeſſe, fatti ſunt ad unum omnes ingenui, respicientes procul dubio, p̄a ceteris omnibus maximè mirandam humani corporis fabricam artificioſſimam, ejusque partium mul- titudini junctam exiguitatem inſignem, ob quam majorum intenti ſeruinoſio par-

tium, facillime earum que minus necessarie videbantur, aut neglexerint aut distulerint examen. Id vero Glandulis extrema facie nihil speciosi præ se ferentibus, apud plurimos contigisse certum videtur, illos præsertim, qui parum non evolverunt scripta, inter alia Hippocratis libellum de glandulis eleganissimum, (in quo, laudabili cerie instituto, earum primò naturam, dein quos faciunt morbos eleganter describit) tum Galeni aliorumque, de hisce sparsim notata. Veteribus igitur quod glaciem nobis fregerint, uti in aliis, ita & in his, multas nos debere gratias, in confessio est. At multum quoque recentiorum hujus evi, hac parte perfelicis, diligentie deberi, nullus negabit ad rem attentus. Etenim hi veterum vestigia prementes, ex eorum scriptis, & specialiter ex Hippocratis adenographiâ, capiā frequenter occasione, mulum proscœlō luminis, hnic, & integrare rei Medica attulerunt, per egregia sua arcanorum naturæ rerum universa scrutinia, experimenta preprimis anatomica, & laudanda circa hac ratiocinia, veterum inventa illustrando, alia subinde adjiciendo, hac ratione, junctâ scilicet multorum opera, diversorum affectuum perfecerunt, tum cognitionem imprimis, tum curam. Quod vel unius quem theses fert titulus, morbi exemplo manifestum evadit. Ad cuius distinctam cognitionem, (ut curationem nunc taceam, que uti non in aliis, ita nec in præsenti affectu tantopere variat ac piures clamant, mutatâ licet theoriâ) quantum mutua hac prestiterint opera, quantum imprimis glandularum totius corporis recens inventa illustrando multum egregia de his Hippocratis &c. notata, juvent, specimenis publici gratiâ, imperantibus sic Academie legibus, pro virili ostendere animum induxi, accuratiore dicti affectus examine.

THESSIS I.



Uem aggressurus, non morabor multum vocis etymo, cum Græcis κατάρροψ, κατάρρου, Latinis defluxionem, German. epn Fluscht / Belg. een Sinctingh / vocari satis constet, imo denotari eo præternaturalem, & subitaneum humoris in partes influxum, vel ipsi vulgo notum sit. Quare rectâ ad rem pergens, primò per quæ se prodat indicia, & signa ostendam, dein quibus hæc causis, & quomodo producantur, quæ ex his variantibus exsurgent morbi differentiæ, gradus, diversa mala, sub ætiologia comprehendam, tum quæ ex his de morbi conditione & eventu prædicenda subnectam, ac tandem curationem quoque adjuncturus.

II. Conqueruntur ergo catarrho obnoxii, qui frequentius femina sunt quam viri, habitu, molli, laxo & flaccido prediti, magis quam firmo & vegeto, senes & juniores sèpius, quam medie etatis, studiis addicti, & vitam sedentariam viventes potius quam corpus continuò aut crebro exercentes, aëris constitutione mutabili facilis quam constanti) queruntur inquam aliqui nunc, de capitib[us] & totius gravi-

gravitate, sensuum hebetudine, torpore, somnolentia; urina iis turbida est, multo scatens sedimento pituitoso, ast tenuis, & perspicua, aquea, cum aliis cruditas pituitosae signis. Nunc verò humor ex ore naribusque effluit serosus, pituitosus, insipidus, influxus humorum in varias corporis partes percipitur, cum tumore oede maioso, sensu frigoris & doloris obtusi, etiam capitis; iussis profunda & rauca sepe est, exscreatio difficilis, nares obturantur, olfactus gustusque perit. Alius autem modo calide exsiccationes, modo horrores, & frigoris sensationes percipiuntur, comitantur fere vigiliae, sensuumque nimia alacritas, aliaque sanguinis & humorum acrimonie indicia, urina rubicunda multis quasi arenulis referita &c. Et similiter his saepe tenuem nares stillant humorem, qui quibusdam manifestè percipitur à capite decidere, & pungit, vellicat, sternutationem excitat frequentem, exorit nares, exulcerat. Totum corpus quasi fustibus exceptum ad minimum cunctum dolet, defluxiones sunt vehementes, & subitanæ magis, ab una parte in aliam, qua tumorem causantur rubicundum, pulsantem, admodum dolorificum. Capitis dolores comitantur acutissimi, ex auribus effluit humor copiosus ichorosus, alvi fluxus accidunt, fauces ex asperantur, iussicula movetur sicca, clangosa, imo asthmata, suffocationes, phthises, febres, arthritides, aliaque sequuntur mala periculissima, quæ prout has illasve invadunt partes, ita variant signa, ex peculiaribus tum partibus laborantibus desumenda. Notandum igitur non omnia & eadem hęc observari in omnibus, aut hęc vel illa præcisę in quibusdam, sed diversa in diversis, diversoque tempore, pro diverso morbi statu, separatione vel concursu vario causarum. Quarum investigationi antequam me accingo, ut faciliori eas accedam tramite, sanguificationis apparatus, partesque hoc facientes, in quantum sc. ad præsens faciet institutum (cum plenariam hujus rei considerationem non capiant angustæ theses limites) paululum expendere, haud parum ex usu fore, imò prorsus necessarium existimo, cum in hujus, & quæ huc faciunt partium quarundam, læsione, catarrorum consistat fundamentum, atque adeò quomodo naturaliter hęc habeant nescienti, status præternaturalis & cognitionem, & emendationis modum latere necesse videatur.

III. Missis itaque minus necessariis, notatu dignum videtur, quod ea quæ in restaurationem amissorum assumimus alimenta, cum ex variis desumantur animalibus, plantis, aliisque corporibus tam liquidis, quam solidis, ob diversas in iis particularum diversis modis alterationes, magis minus perfectas, non omnimodam cum corporis nostri partibus habere convenientiam possint, quin multas certè contineant particulas necesse sit, corpori nostro planè inutiles, tum plurimas non nisi prævia plus minus præparatione in ejus usum adaptandas. Quem in finem varias in variis nostri corporis partibus experuntur mutationes, dissolutionem non tantum, subtilisationem, variamque mixtionem, sed & secretiones, excretionesque varias. Quarum mutationum jam

initium fit in ipso ore, continuatio & auctio in ventriculo, intestinisque, ibidem deposito crassamento, perfectio in lacteis, aliquantò major adhuc quamdiu sanguini affusa in axillari & continua vena cava descendente, quām maxima verò in corde, ejusque appendicibus, & quidem sinistro præsertim ejus ventriculo (idem tamen & in dextro fit quamvis remissius,) in quo subitanea sanguinis fermentatio, qua maximè opus, imprimis peragitur, ob causas efficientes hic quām alibi fortiores, cavitatem sc. insignem, materiæ æthereæ copiam, maximamque humoris heterogeneitatem. Etenim confluus huc humor alimentaris, infinita constans particularum varietate, utpote conflatus, ex innumeris assumptorum, jam dictis locis præparatorum particulis, aqueis præsertim, spirituosis, acidis, salinis, (quarum innumeram dari differentiam chymia docet) sulphureis, & oleosis, quibusdani terreis, sexcentisque aliis, magnitudine, figurā, facultate diversissimis, humor inquam tum ex se, tum admixtis in pulmone particulis aëreis, adeò heterogeneus, atque ob hanc rationem poris præditus & interstitiis admodum discrepantibus, non nisi materia æth: subtili (quæ omnia pertransit celerimè uti mundum alter Oceanus) replendis, huic ob hanc inæqualitatem liberum non concedit transitum, sed hic illic continuò offendere facit ad prominentes & asperas particulas, sibi ubique in poris obvias, quæ hasce concutit vhementer, & loco pellit, hæ item alias & alias, atque ita vario hoc incursu & resistentia, juvantibus simul ad hoc cordis parietibus inæqualibus, cæterisque concausis, notabilis fit humoris commotio intrinseca, quām vocamus fermentationem. Quæ ita homonos continuatur, quamdiu non vimis heterogenea in sanguinem influunt, aut in eo generantur, sed similis continuò fit materiæ æthereæ influxus, ad particulas in debito ordine & proportione servandas requisitus. Effecta autem hujus fermentationis sunt. 1. sanguinis æquabilior mixtio, ut licet ex partibus constet diversissimis, ita tamen, per minima æquabiliter misceatur, ut humor uniformis fiat, & sibi ubique similis. 2. particularum ulterior dissolutio, attenuatio, volatilisatio, spirituascentia, & 3. (quod imprimis ad rem facit præsentem) quarundam dispositio talis h. e. ab aliorum vinculis solutio, ut cordis prælo ad loca propulsæ convenientia, separari à reliquo possint. Quæ non una, sed diversis per cor circulationibus obtinentur, in his citius, in aliis tardius.

IV. Ratio autem quare separari quid debeat, vel ejus quantitas est, proportionem tollens, vel qualitas, nimia tenuitas, subtilitas, aut crassities, vel alia facultas excedens, & crassi inimica. Quæ fiunt, tum ratione materiæ, tum ex conditione causarum efficientium; quatenus vel illa quædam habet iu usum converti nostrum, ex se, & sua natura prorsus inepta, aut saltem ob aliquam rationem in convenientia; vel quatenus hæ illorum subactioni, mixtioni, & perfectioni ex se sunt impares (saltem in quodam individuo, & certo tempore, non necessariò in genere & semper). Vel quatenus alia continet

aut

aut ex se, aut respectu efficiunt ita constituta, ut etiam ulterius quam sanguinis nostri miscella fert, exaltentur, atque adeò hic vel alibi divertium facere studeant. Secedunt verò quædam nunquam rursus miscenda, sed eū plane inutilia foras eliminanda. Quædam ut hoc quidem tempore miscellæ in convenientia, ast hac ipsa separatione perficienda, separata tum aliis locis, tum reunita iterum ipsi M. S. insignem præstitura utilitatem. Atque horum aliqua certum specialemque suæ secretioni & excretioni requirunt corporis locum, alia verò non ita specialem exigunt, sed per totum corpus hæc experiuntur. Illa sunt spiritus animales, cerumina, lac, bilis, urina, semen. Hæc fuligines & vapores, quos omnes corporis partes præsertim pulmones exhalant, insensibile transpiramentum, quod naturaliter totus corporis habitus emittit copiosissimum; ac imprimis lympha, recrementum sanguinis admodum universale. Etenim uti inter assumpta sanguinisque elementa, aquæ partes sunt, imò debent esse copiæ potiores, (cum nullum convenientius alieni vehiculum sit) ita ejus aut ut superfluæ tantum à nutritione, & sanguini ad cor refluo, ob copiam sive inefficaciam (utpote particulis efficacibus nutritioni plurimum impensis spoliata) in motu futura impedimento, aut ut in plurimis partibus valde necessariae & utilis, secretioni & excretioni, plurimæ per universum corpus destinantur partes, & quidem glandulæ ut plurimum. Quarum notabiliores tum veteribus, tum recentioribus cognitas, hoc adferre consultum duxi, ut postmodum maximè usui futurum.

V. Itaque ut à capite exordiar sub ejus tegmine (præter cerebrum ipsum, majorem reliquis glandulam Hippocrati) per totum cerebri & cerebelli ambitum, præsertim verò intra profundiores sulcos, meandros, cavitatesque, vasis sanguineis interspersæ observantur glandulæ plurimæ, minores, ductibus, ex cretroriis quantum hactenus cognitum carentes, sed probabiliter in tubulos duræ meningis semet exonerantes. Quod idem de pituitaria dicta illarum maxima, in homine dupli, quæ tum ab infundibulo serositates, tum ex vasis recipit sanguineis, censendum est, cum foramina ei subjecta (siqua sunt in homine, raro enim reperiuntur) olim seri hinc in palatum deductioni dicata, nunc obturata reperiantur vasis, liquorem siphone injectum, trajectis foraminibus distis, in vasa subjecta, ac tandem in venæ jugularis truncum vehentibus: Quæ una seri ex ventriculis cerebri via est; de altera per processus mammillares, adhuc sub judice lis est, his illam negantibus apertam, aliis concedentibus. Sed certè cum lympham vasculis contineri, nec extravasari naturaliter constet, & illius, ventriculorum cavitatibus contentæ (quæ ex vaporibus spiritibusque condensatis resultare videtur, cuius propterea exercitio ventriculorum usus est tantum secundarius) per paucæ naturaliter, reductioni ductus infundibili sufficiat, nulla saltem urget necessitas viam hanc apertam statuere, præsertim cum magni nominis anatomici foramina ossis cribiformis membranis planè occlusa esse contendant, ad autopsiam provocantes.

VI. Extra

VI. Extra cranium plurimas maximeque insignes caput possidet glandulas, ut sunt intra oculi orbitam superius ejus bulbo incumbentes, vasculis aliquot per palpebram superiore recurrentibus, humorum suum in oculi eructantes globum, qui juxta illum depluens, per puncta lachrymalia ductibus satis patulis derivatur tum in palatum, tum in nares: sub quarum membrana variæ etiam continentur glandulæ, vascula emittentes, quæ vel pluribus orificiis, vel uno majori, in nasi cavitatem exonerant humorum, per foramina ad nasi radicem hiantia versus palatum, post dentes anteriores deducendum in os: ubi & plurimæ conspicuæ sunt glandulæ cum suis excretoriis, per omnem palati & buccarum substantiam dispersæ, ad latera quoque linguae sitæ, tum uvulae sacculus glandulosus, & tonsillarum substantia similis, quæ humorum eructant crassiores. Exterius glandulosa caro, quæ in meatu aurium externo cartilagine inter & cutem se offert; glandulæ juxta aures, ab Hippocrate visæ, quæ vocantur parotides; & maxillares, quas inter per diversa vasa lymphatica mutuum datur commercium, & peculiaris quasi lymphæ circulatio, suntque præcipui salivæ per sex notabiliores canales, in oris cavitatem derivandæ, fontes. Non procul hinc, juxta processum styliformem jugularium incipit racemus, unde secundum longitudinem vasorum colli, ad claviculas extrinsecus, internè in ipsam pectoris cavitatem circa vasorum divaricationes majorum protensæ. Adhæc insignes sunt in media & postica parte æsophagi, æsophageæ dictæ: tum carunculæ binæ epiglottidi incumbentes, quarum canalicii eam perforantes, se exonerant versus laryngem; in qua thyroideæ sunt notabiles. In arteriæ asperæ superficiem internam innumeri hiant glandularum minimarum poruli, quibus pressis exsudant humoris guttulæ. Porro in reliqui corporis exterioribus, præ cæteris conspicuæ sunt, axillares, sub flexura cubiti, juxta tendinem bicipitis, inguinales, juxta medium musculi fætorii sitæ, sub flexuris genuum, & in cæteris omnibus articulationibus. Tum per universum corporis habitum disseminatae, miliare dictæ ob exiguitatem. Interius nulla hisce carent viscera; spinali medullæ plurimæ incumbunt vasorum tegmini interspersæ. Pulmo multas habet, ut & cor, ventriculus cum intestinis innumeræ, etiam apud Hippocr. lib. de gland. & Gal. de us. part. lib. xiv. cap. xi. videndas, quæ in eorū exonerant cavitatem; tum jecur, lien, pancreas, renes, quibus & renales vocatæ adhærent, mesenterium, omentum, suas possident, nec testes, uterus, mammæ, muscularum parenchymata &c. illis destituuntur, imo vix ulla universi corporis particula.

VII. Inservire autem has omnes humoris (& quidem serosi plerumque) secretioni, vasa excretoria lymphatica in plurimis nunc detecta probant certissimè; in aliis (ubi illa adhuc latent) quod sanguinis & spirituum plus quam earum postulat nutritio recipient, illud evincit. Quo autem modo hæc in iis peragatur separatio ut intelligamus, natura illarum & conformatio erit exami-

nanda accuratius, de qua eleganter ita differit Hippocr., s^æpius dicto lib. de gland. De glandularum inquit tota natura sic habet, natura ipsis est spongiosa, sunt enim rarae pingues, & venas multas habent, si disseces sanguis multus erumpit, specie albus & uiri putida, tangenti autem velut lanae apparent, digitis fortius compressae humorem emittunt oleosum &c. & paulo inferius, influit autem humiditas ex reliquo corpore per venas, quæ per ipsas extensa sunt multa & cave, &c. Cum vero idem Hippocrates libr. de arte XVII. de alimento, aliisque locis, totum corpus constare tubulis & vasculis pronunciet, jure merito de glandulis in specie asserimus, quod sint vasculorum & ductuum valde anfractuosorum, & exilium (ita ut oculos effugiant, & instar pororum sint) congeries & glomus, una communi membrana cinctus, cæterum fere in plures particulas, privatæ inclusas membranulae divisis, quæ singulæ constant ex nervi, arteriæ, venæ, & vasculi excretorii ramulis, tubuloque venulas inter & arteriolas medio, anfractuoso, qui à lateribus undique poros habere concipi potest, quarundam sanguinis particularum, serosarum imprimis, & quæ his facile junguntur salinarum, receptioni peculiariter adaptatos, orificiola constituentes vasculorum excretiorum. Quibus suppositis, modo sequenti separationem fieri posse putem.

VIII. Scilicet sanguis in corde ita dispositus, ut data occasione partes serosaæ facile ab eo separari possint, in glandulam nunc delineatam per arterias impulsus, idque majori copia & celeritate, quam ut illicè omnis uti est integer, in correspondentes possit recipi venas, (quas semper habitu respectu velocitatis tarditatisque motus suppono arteriis minus capaces, plus minus in diversis partibus, prout in iis plus minusve à sanguine est separandum) pauxillum in motu suo retardatur, atque hinc quodammodo compingitur, qua leni compressione, serum non intimè mixtum, sed confusum modo, ejus poris expellitur, quod ubi à reliquis secessit, eo movetur ubi minorem invenit resistentiam, hoc est in dictos glandulæ poros, ejus receptioni peculiariter adaptatos, sanguine reliquo deposita hac sarcinâ nunc facile venularum angustias penetrante. Non parum tamen promovetur hæc separatio, per certum & modificatum à peculiari pororum conformatio[n]e influxum ætheris, uti & spirituum animalium, qui partim causæ efficientis porulos convenienter inflando, &c. partim materialis rationem habent, cum majori quam ad primum requiritur copia huc adfluant; atque in anfractuosis glandulæ tubulis, haud secus quam alembici rostro multum tortuoso (quo illico acquirimus spiritum) in liquorem facile condensari possint, sicque partem constituere lymphæ hic separatæ, ac propulsæ in tubulos, separatim quidem invisibilis, ast postquam mutuis inosculationibus plures in unum abiérunt, lymphaticum vas conspicuum exhibentes.

IX. Atque hoc pacto ob solam materiae conditionem, glandularumque structuram, absque ullius ope fermenti, secretionem hanc sufficienter fieri posse,

se, immo in quibusdam fieri putem; eadem facilitate quam videmus liquorum &c. partes diversas, aliis confusas, per cibrum, poros iis convenientes habens percolari, solo accidente motu & agitatione varia. At vero sicuti e.g. serum lactis, ut longe minori opera per cibrum trahatur, prius fermenti ope a partibus caseosis &c. separandandum est, ita & de quibusdam a sanguine nostro secernendis per glandularum cribra, censendum. Quamobrem, in nonnullis ut hepate, renibus, mammis, & aliquibus forte nostri praesertim fori glandulis, ubi vel quantitas major, vel humor, magis intimè mixtus & aliorum intricatus compedibus separandus est, fermentum aliquod, aut (si vocabulum offendat) reliquias concedo, humoris inibi ante separati. Etenim facile oleosae quedam, & salinæ particulæ, variae, pro diversitate illic separati, ob hamositatem hære possunt, in fibrillis, porisque glandularum minimis; que post adfluenti additæ sanguini, utsote in hoc statu heterogeneæ, ita mutent, modifcent etheris influxum (juvante simul pororum conformatio-
nem certa,) ut hinc sanguini talis inducatur fermentatio, qua particularum fermento similiū fiat secretio a reliquis, id quod de fermenti natura est. Et in eo consistere videtur, quod motum quem ab æthere habent fermenti particulae majorem, illis praesertim inducant sanguinis particulis, quibuscum sibi convenit, quoad magnitudinem, figuram, spatiola quæ exigunt &c. atque adeò impulsæ in poros quos similes occupant sanguinis particulæ, illas non sati resistentes motui fortiori, secum rapiant extra consortium aliarum: quo in statu cum motum aliarum sequi non possint, versus superficiem excutiuntur, separantur plane a reliquis, separatae percribrantur ut dictum. Hæc au-
tem dicto peragi posse modo variis (si id nunc ageretur) confirmari posset exemplis, ex chymia petitis, quibus prout diversa liquori heterogeneo affun-
duntur, varia quoque separari, præcipitari, certissime constaret.

X. Ab hac ergo glandularum, vel propter pororum tantum, vel fermenti simul conditionem diversitate, omnem patet dependere uti aliorum humorum, ita & lymphæ differentiam; prout sc. varia separantur unacum aquis (que ob flexibilitatem quibusvis se insinuant spatiolis) glandularum admittuntur poris, qui quo fuerint angustiores, eo puriorem, quo autem paten-
tes magis, atque adeò plures salinas, acidas, terrestres recipere particulas apti, eo magis impuram & heterogeneam concedent lympham, variis pollentem fa-
cilitatibus, prout non uni destinatur usui in variis ad quas defertur partibus. Ut sunt os, ventriculus, intestina, lactea cum ductu thoracico, in quibus chylificationi, venæ, praesertim maiores, ubi diluendo, spiritusque reddendo, sanguificationi; pericardium, articulationes, &c. ubi motui inservit, & cæteræ omnes fere partes, ac membranæ, quæ eam humectari & emolliri debent, ut recipiendis aptæ sint humoribus. Hæc igitur quamdiu juxta naturæ procedunt legem, separatio & excretio absque interruptione fiunt, tamdiu multa,

multa, nec exigua hinc resultant commoda, quam primum verò quibuscumque de causis à naturali deflectunt, protinus præ foribus malum est; & quidem illud imprimis cuius §. II. enarrata sunt symptomata. Ad quorum causas, præmissis hisce quæ proficia censui, facilior nunc dabitur aditus.

XI. Veram igitur & proximam Catarrhi causam, in læso glandularum nunc dicto munere, secretionis & excretionis lymphæ, imprimis querendam esse arbitror; quod sc. hic humor in his illisve prædictarum glandulis, aut vitiosus qualitate, aut quantitate nimius secernitur, nec excernitur debitè, aut per vias ordinarias, sed quibuscumque de causis mox adferendis, in has illasve partes, præ cæteris debiles, & recipere aptas, defluit. Procatarecticæ verò hujus mali causæ admodum multiplices sunt; quæ ordinis gratia, & respectu modi quo faciunt ad morbi productionem, considerandæ veniunt, vel ut occasionem præbentes, præviam ad malum dispositionem; quæ φυφάσεις vocantur, vel ut suo impetu latentem in corpore causam in actum deducere morbificum aptæ, ad instar sulphurati, quæ dicuntur αφορμæ.

XII. Prophales causæ internæ sunt omnes, & querendæ hic in sanguine & lympha, spiritibus, ipsisque glandulis. Quoad priora, (quæ, quia raro nisi his mediantibus partes solidæ afficiuntur, primò considero) cum sanguis promus condus omnium humorum instrutissimus, per arterias glandulis suppeditur, cum P. Martiano. pro fonte catarrhorum meritò videtur habendus, quatenus sc. hic non uno nomine cacochymicus, & crudus, præsertim verò serosus, pituitosus, simulque acris est, vel non, ob vitiatam quacunque de causa, sive materiæ, sive efficientium ratione, ejus fermentationem, quam §. III. proposui naturalem, sublatâ magis minus proportione requisita, crassi, & æquabili quoad minima mixtione imprimis. Etenim serum sive mite, sive diversâ peccans acrimoniâ, generari in nobis putem, manifestari, & malè nos afficere, non tam quia copia ejus suppeditatur nimia, aut quod non excernatur satis, quamvis aliquando tamen has ob rationes fiat, ob nullam verò magis, & sepius, quam ultimam hanc causam, quod scilicet legitimæ fermentationis defectu, non rite inter se miscantur, & altera alteris refracta non contémperentur, ita ut nihil observetur αρπαλος. Hic tamen bona mixtionis defectus diu subsistere nequit, quin (quia fermentatione læsa indies augetur serum) ejus quoque excretio impediatur, ut hinc etiam peccet copia. Si cuti itaque rebus rectè procedentibus, in corde sanguis disponitur ad modicam separandorum in partibus convenientibus separationem, ita nunc è contra in præternaturales proclivis fit secessiones, & in his illisve glandulis, ob prædictam dyscrasiam, serum aut nimia segregatur copia, aut qualitate vitiosum, secundum variam exsuperantium, vel secessionem harum illarumve particularum. Sequitur enim illud fontis sui, i. e. sanguinis constitutionem, cuius particulæ cum sint indefinitæ, prout modo hæ, modo illæ, mixturæ & proportione,

robore; facultate peccant, ita & lympha hinc scaturiens multum variatur. Aut enim acris est, simul tenuis ordinariò, & salinas punctiones, acidæ scindentes, aliasve aciei diversæ particulas admixtas habet, unde Catarrhus vulgo calidus, acris sc., & si partes in quas defluit erodat & exulceret, Ferinus dicitur, aut mitis est, & vel simul tenuis, solaque molestans copiâ, vel terrestres, crassiores, viscidioresque particulas junctas habens, unde tam crassa evadit & viscida: ut pituita audiat; quæ quando nullam produnt acrimoniam, mitis, vulgo frigidus exsurgit Catarrhus. At pituita hæc viscida non semper effæta est planè, iners, & ob motum minorem frigida dicenda, sed & quandoque acrimoniam sibi junctam habet, præsertim acidam, quæ non raro ejus causa est. Atque adeo pro diversa sanguinis constitutione, & admixtione varia humorum, vel intemperies serola pituita frigida est, vel etiam quandoque calida dicta, adeo ut hic calor & frigus accidentia tantum sint.

XIII. Hæc sanguinis & humorum sunt vitia hic imprimis culpanda; spiratum haud minora sunt, prout & magna horum est necessitas; & peccare possunt tum quantitate, tum qualitate, quantitate, quatenus pauci nimis sunt, qualitate, quatenus cum lenes, balsamici, puri requirentur, è contrario ob materiam heterogeneam ipsis additam, vel tenues sint & acres, nimiumque moti, vel aquei, flaccidi, tardi, fixi per nervos suppeditentur. Spiritibus autem, qui ceu æther microcosmi, glandularum &c. poros implere sat, ac distendere debent, ut admittendis debitè, & emittendis apti sint humoribus, quorum & vinculum constituunt naturalem conservans *κράτον*, atque adeò ad bonam fermentationem, hinc secretionem & excretionem, etiam hoc nomine plurimum conferunt, his inquam aut deficientibus, aut malè affectis, facile fit confusio, secessio, hinc acrimonia, nimia tenuitas & fluor, vel inspissatio, & visciditas humorum: præsertim si illi non bene mixti sint, & proportionati; quæ sibi mutuo & causæ sunt, & effectus; ita ut cum v. gr. tota M. S. est serosa pituitosa, etiam paucissimi, & non nisi vitiosi spiritus in cerebro separari possint, & vicissim ob spirituum laudabilium defectum in organis chylificationis & sanguificationis colluvies serosa valde augeri debeat, & sic de cæteris.

XIV. Glandularum nunc quod attinet vitium, hoc vel in structura vasculorum, ad & auferentium, vel in fermento consistit. Vascula tam sanguinea, quam excretoria, cum sint angustissima, admodum anfractuosa, mollia, sive que tenerrima, hæc vel illa mutantur, obstruuntur facilime, particulæ enim crassæ, aliæque inconvenientes, quæ quando unitæ adhuc sunt in vasibus majoribus, aliorum sequuntur motum, illæ ad tubulos hosce angustissimos pervenientes, & dissipantes, facilius hærent, ob motum minorem, cum etiam plurimæ glandularum longè distent à principio motus. Fiunt autem hæc vel ab extrinseco, ut tumore vicino comprimente; ab aere (in iis quæ ejus injuriis sunt expositæ) frigido angustante, calido aperiente nimis, aut aliter alterante,

rante, ita ut non convenient humoribus percolari solitis; vel ab interno, sanguine influente & spiritu vitioso: sanguine quidem, in quantum magnâ copiâ & impetu impellitur in arterolas, has distendit, dilatat magis quam venulas, quia antequam per varios anfractus ad has devenit, multum sedatus sit impetus necesse est, & copia sâpe imminuta, unde mutari proportio horum vasorum ad se invicem necessariò debet, hinc data simili occasione, dum plus advehitur per arterias, quam venis commodè revehi potest, stagnat sanguis, unde major fit seri secessio, & copiosior evocatio, siquidem viæ hæ sint libere, aut ad alias partes defluxus, si fuerint impeditæ. Idem contingere potest à sanguinis crassitie, & limositate, dum ob minorem ejus in venis quam arterius, tam internum, quam progressivum motum facile viscosa quedam vasculi parietibus adhærent, sive illud augustant. Hoc pacto obstructio, vel angustia fit, in transitu sanguinis ab arteriis in venas. In transitu humoris qui segregatur in tubulosam glandulæ substantiam, similiter contingit, dum vel pertinaces redundunt, angustantur nimis poruli à lymphaglutinosa, aut obturantur particulis quibusdam, salinis grossioribus, asperis, & inæqualibus, quæ unâ cum serosis allatae, nec uti hæ poris semet accommodare ob rigiditatem valentes, relictæ hærent, & incuneantur, ita ut exclusis crassioribus, non nisi materia tenuiori, quæ non raro valde agilis & acris est, transitum concedant. Vel plus justo ampliantur iidem hi tubuli, à motu & ebullitione seri, aut alia quavis causa, unde simul crassiora admittunt, quæ dum ad pristinam redeunt angustiam, aut ad alios translata meatus exiguos, sisti facillime possunt, & obstructiones producere. Quomodo autem huc contribuat, immò frequenter unica sit horum causa, vasculorum à defectu spirituum flacciditas & collapsus, facile colligitur. Tandem fermentum quod quibusdam concessum est glandulis, diversimodè à statu naturali recedere potest, & vel iners esse, vel ob defectum spirituum temperantium, & moram, variâ peccare acrimoniam, salinam, acidam (quorum varii sunt gradus) & sanguinem affluentem, etiam non vitiosum quandoque, coagulare, fundere, præcipitare, ut nimia secedat seri copia; vel aliter corrumpere, pro diversa ejus conditione, ut in sui naturam vertat adfluentia, quod fermenti proprium esse ex ante dictis constat. Non tamen in his glandulis gigni & stabulari semper necesse est, cum in aliis partibus productum & sanguini affusum, una cum hoc adferri huc posse, & virus suum exerere in materiam convenientem. Atque hæc potiores hic præbent prophæses, similesque ob causas fiunt.

XV. Αφερματι in immoderatione rerum nonnaturalium consistunt. Quarum inter necessarias primus se offert aér, aut in calore excedens, h. e. tenuitate & motu, à copia materia æth. celerius agitatæ, aliarumque particularum efficacium: aut frigore, h. e. crassitie & motus tarditate, ob horum defectum, vid. aph. v. 24. Imprimis quando hujus frequentes, & subitanæ fiunt unius

in alterum ~~mutat~~^{mutatur}. Etenim aëre æstuante, à solis radiis eum vehementer vibrantibus, ant ex meridionali plaga spirante vento, ejus particulæ efficaces magnâ copiâ inspiratæ, cum saliva & alimentis deglutitæ, ac per cutis poros penetrantes, sanguinem humoresque commovent, fermentationes excitant maiores, unde vascula porique dilatantur, crassa tenacia in latibulis hærentia disolvuntur, attenuantur, in minutissima impelluntur vascula; tenuia & activa exaltantur, & fiunt acria, saltem volatilisantur, in tantum, ut per corpus instar cribri patulum, copiosa fiat utriumque aequè, ut spirituum, tam anima-
lium, quam sanguinis, ac inutilium, una cum multo sero transpiratio. Ast mutata subito scena, dum aquilo surgit, Corus, aut Zephyrus, densissimi cœlo decidunt imbræ, aut crassis nebulæ involvimus tenebris, subita horum sit mutatio (juxta illud Virgilianum Georg. I.

*Verum ubi tempestas, & cœli mobilis humor
Mutavere vias, & Jupiter uvidus austris
Denset erant que rara modo, & quæ densa, relaxat.)*

Et imprimis cutis pori, glandularumque vascula, majori motu ante dilatata, ob hujus defectum, tam ab interno, quam ab externo, constipantur, ilicò sistitur liberalis hæc transpiratio, retentisque fuliginibus vel acrioribus, salini, biliosis, vel aqueis, sanguinis & humorum vitiatur crasis & proportio, acrimonia augetur, & ad secedendum aptitudo nascitur. Dein ubi vascula ita angustata, collapsa sunt, crassiores, pituitosi humores, in fluorem & angustias præfertim glandularum, per motum deducti, nunc verò incrassati, sistuntur necessariò, stagnantes vascula distendunt, vicina comprimunt, sicque circulatione præpedita, facile secedunt humores, retinentur, colliguntur in glandulis, & copiam molesti vel acredine (quam morâ, spiritum defectu, vitiosisque contrahunt fermentationibus) aut superveniente rursus aëre calidore commoti, reseratis ita obstructionibus, erosio ab acri, ruptive ob copiam (quod facilius fit dum frigore rigent) vasculis lymphaticis, in has illasve partes præcipitantur, sc. externas, sc. internas, ubi minorem invenerint resistentiam. Cum verò maximè notabiles sint hæ mutationes, & quidem modo contrario, autumni tempore & veris, hinc Catarrhi in his fiunt frequentiores. Quo spectare videntur Hippocr. aph. III. 1. 4, 5, 12, 13, 14, 17, 20. & plurimi textus alii. Quo & referendum, quod sub noctem ordinariò Catarrhi ingravescant, sc. inter alia ob dictam aëris mutationem imprimis. Ast vicissitudines hæ, non tantum respectu ipsius aëris considerandæ, in quantum ipse dicto mutatur modo, sed & respectu nostri, quatenus sub diò multum degere non assueti, quin nidum servare, parietibus includi, & hypocaustis soliti, in publicum prodeentes, aëri multum discrepanti nos exponimus. Ceterum non primis tantum ut vocant qualitatibus huc facit aër, sed & aliis di-
verfa-

versarum facultatum particulis, æthereis præsertim peregrinis, magnitudine, figurâ, motu diversis multum ab ordinariis, imo & aliis per ventos allatis, aut iis quas eructant terra specus &c. s. ex propria resultant aëris corruptione, quæ ob noxam quam inferunt venenatæ dicuntur, & sèpissime salinæ acres sunt, magnam saltem ob heterogeneitatem, sanguini inducere valentes influxum ætheris multum discrepantem, ab eo qui convenientem ejus servare cras in solebat, quâ virtutâ, profligato vinculo humorum primario, spiritu scilicet, in quem præ cæteris agere solent miasmata hæc subtilia, non possunt non acre reddi humores, varias inire secessiones, præcipitationes, salinarum &c. particularum, atque ita defluxiones gigni acres, ferinæ & quidem epidemicæ, ob causam quam agnoscunt communem, unde & Catarrhi quibusdam regionibus sunt endemii.

XVI. Aërem sequuntur cibus potusque, quantitate, qualitate, assumendi modo & ordine nocentes, quatenus uno, pluribus, aut simul modis omnibus hisce, fermentum, & fermentationem chyli in ventriculo corrumpunt, ut insufficiens fiat, nimia, aut aliter vitiosa, & vel in ipso ventriculo, in secessiones & fluores pronus reddatur humor alimentaris, præsertim dum à spiritu hic non agitatur satis: hinc in sanguinem introducantur vel cruda, aquæ, pituitosa, vel acria, salina, acida, austera, &c. copiâ aut facultate æquabilî M.S. inimica mixtioni, vel obstructionibus apta producendis, Spirituum verò generationi incepta. Cæteræ res nonnaturales necessariæ suum hoc conferunt, quatenus vel imminendo motum, attenuationem & circulationem sanguinis, humorum & spirituum, horum imprimis separationem in cerebro, recrementorum præsertim seri per glandulas totius, renes, & habitum corporis, secretiones excretiones lœdunt, hujusque accumulatione proportione sublata, ad secessiones disponunt, obstructionibus ansam dant &c. cuiusmodi sunt somnus protractus, quies nimia, adeoque vita sedentaria, animi affectus qui dicuntur frigi, tristitia, mœror, odium, invidia, timor, curæ, solicitudines, evacuationes ut mensium, hæmorrhoidum &c. suppressæ &c. Vel in quantum movent nimium, dissolvunt, humores spiritusque balsamicos discutiunt, acres reddunt, atque ita sanguinis turbando mixtionem, ad fluxiones aptitudinem inferunt, quales sunt vigilæ diuturnæ, motus & exercitia immoderata, animi motus effræni, ira præ cæteris. Sudoris &c. profusio immoda, aliæque evacuationes nimiæ, alvi fluxus, hæmorrhoidum, mensium &c.

XVII. Res quoque nonnaturales, necessariò nobis non obvenientes, arbitriæ, multa præbent haud infimè hic considerationis, ut inter ambientia vestes densæ nimis, præsertim lanâ indicâ infarctæ; balnea aquæ frigidæ, corpore sudoribus diffluente, aut nimia in illis mora, &c. quibus insensibilis fistitur transpiratio, quo referenda refrigerationes pedum, quatenus copiosa seri evacuatione, que multis eos semper habentibus madidos contingit, sufflaminatur, præterquam

terquam quod sanguis hinc incrassetur multum, & longè distans à foco in partibus membraneis aëris injuriis expositis, in motu retardetur facile, illæque obstruantur. Inter assumpta tabaci nimius usus, fumisuctio, masticatio, tyrun-
de ejus naribus insertæ, quorum irritatione magno seri affluxu facto, valde ampliantur hæ viæ, quibus in senectute, aliisve de causis collabentibus, aut aliter angustatis, cum adfertur seri plus quam auferri possit, stagnatio fit, secessio, tenuiore quod sæpe acre est transeunte, crassius hæret, sicque mala difficillima, catarrhi molestissimi, necessariò producuntur. His annumeranda medicamenta, venena, sanguinis & humorum turbare cras in valentia, movendo nimis, dissolvendo, aut sistendo motum, incrassando, coagulando &c. Inter amissa, spirituum per venerem immoderatam jactura, per purgationem frequentem, & sanguinis incisa vena missiones, per quas ejus etiam miscella solvitur. Inter acta occurrunt animi corporisque labores excedentes. Animi quidem, in quantum sæpe ad pertinaces meditationes spirituum opus est auxilio, & determinatione variâ, unde nisi insignis horum suppetat copia, corporeis necessarios functionibus, secretioni, excretioni humorum dicatos, suffurantur & consumunt spiritus, sanguinis majorem, & seri una copiosi determinationem versus caput & cerebrum causantur, quod serum, absumptis qui excretionem promoverent spiritibus, isthic hærens in glandulis, postea funditur, & producit catarrhos, qui idcirco (ut Celsi mea faciam) sapientia professoribus, & studiosis, qui corporum suorum robora inquieta cogitatione, nocturnaque vigiliâ minuant, frequentiores esse observantur, ob rationes ex prædictis facile deducendas. De nimiis corporis laboribus ex §. XIV. satis judicare est, notandi solum illi mulierum, quæ linteaminum &c. lotione victum quigrunt, dum in continuo quasi balneo vaporoso, saponis, & sordium particulis salinis volatilibus infecto versantur, quæ inspiratæ, sudores non raro & urinas movent, quibus dum frigido semet exponunt suppressis, serum accumulatur, in glandulis, viisque sistitur, & fluxiones accersit. De his verò, & aliis quæ huc adferri possent causis notandum, occasioneles tantum esse, prædispositionem requirere, neque necessario catarrhum inferre: quarundam tamen vim posse tantam esse quandoque, ut solæ absque prædispositione catarrhum inducant.

XVIII. His ita positis causis, specialia nunc quedam circa catarrhum expli-
canda, ejusque principaliora quedam effecta, symptomata vocant ex suis deducenda causis. Primo quidem, quid de capite, catarrhorum fonte solitario quibusdam, nunc sentiendum sit: sc. cum per totum corpus reperiatur, tam materia catarrhorum remota, quæ sanguis, & proxima quæ lymphæ est, quam glandulæ, partes mandantes, hinc sequi, non à capite solo derivandos, cum non nisi horum præcipue respectu, ullos suppeditet caput catarrhos. Magnas verò præ aliis partibus, in capite dari causas, & occasiones, ad catarrhorum generationem, liquet consideranti, maximum quem habet tam in internis quam externis partibus glan-
dularum

dularum vasorumque numerum, sanguinis copiam quam recipit maximam, circiter tertiam totius massa partem, unde multum materiae serosa mihi separari potest. Tum aeris injuriis imprimis expositum esse caput: ac tandem quod spiritus animales hic sint separandi, quorum defectum, & vitia inter primarias retuli causas; ob quae vitia non facta mixtione debita sanguinis & lymphae in cerebro, patet quanta catarrhis hic, & alibi ansa detur. Atque hinc illud manet in praxi, capitibus, & cerebri, h. e. spirituum, semper habendam hic esse rationem. De viis etiam fluxionum ab interioribus capitibus in nares, palatum, & fauces, quid judicandum sit, ex §. v. petatur, ex quo colligere est, non nisi mediatae, cum sanguine, materiam catarrhosam notabilem, in interioribus capitibus separatam, ad partes alias posse defluere. Nihil prorsus tamen immediate hinc in nares, palatum & fauces descendere non facile affirmavero, sciens continuo aliquid transspirare, & defluere per foramina juxta ductum vasorum, ad horum membranarumque emollitionem, ut ad motum sint aptiora, quod cum possit retineri propter obstructionem &c. in variis istic loculis & cavernis insignibus accumulari, copia, aut facultate molestum excuti potest, & in dictas defluere partes. Ast paucum sit hoc oportet, copia autem, quae frequenter huc adfluit, & effluit per nares imprimis, aliunde derivanda est, ex glandulis nempe vasisque lymphaticis densissime hic consitis conf. §. vi.

XIX. Quibus prelibatis, ipsa nunc aggredior symptomata, quorum numerum, & varietatem in variis multam non mirabitur, recolligens insignem causarum diversitatem, resultantem ex varietate humoris peccantis & partium tam mandantium i. e. glandularum, quam recipientium, causarum extrinsecus adventientium, &c. Utiliter tamen distinguenda putavi ea, quae mitem, frigidum vulgo plerumque praecedunt & comitantur catarrhum, ab iis quae acrem & calidum, ita tamen ut quandoque quedam diversae specie in eodem concurrent, cum humores diversimode misceri posse constet ex §. x. Itaque praesentibus cruditatis serosae, aut pituitosae sanguinis, & per consequens, aliorum humorum signis, (quae omnia huc adserre nimis longum foret) sequitur eorum motum, tam fermentativum, quam progressivum per vasa & partium substantiam fieri tardum, & minorem, quo invalecente tandem vascula cerebri, ejusque membranarum & totius corporis, praecipue glandularum capillaria & angustissima, a nimia seri copia, aut visciditate adhaerente gravata, in motu impediuntur, ac mole suâ vicina premendo vascula, fibrillasque, instar ponderis, *capitis & totius ideam gravitatis menti representant*, quam auget omnium collapsus partium & subsidentia, ob defectum influxus spirituum vegetorum satis distendentium, & flacciditatem spirituum, quae ex hac constitutione fluit. Quo supposito cum nervorum fibrille, (hic etiam quoad suam substantiam flaccidores) non sufficienter tendantur a spiritibus, illarum motus, & affectio, minus cito communicatur sensorio & fortiter communi in cerebro, unde *sensum hebetudo*. Eadem quae in nervis &c. si fiat in cerebri partibus subsidentia, ob spirituum defectum,

aut torporem, denegato sufficienti eorum influxu in sensu motusque organa, somnolentia oborietur. Cumque & hinc renibus denegetur sufficiens ad seru per illorum tubulos fassationem, spiritus, urina quæ emittitur aut turbida est, spiritu paucō, debili, non valente in debito servare situ & ordine urinam constituentia; aut multo sciat sedimento pituitoso, poris renum laxis nimium, abundantem hanc materiam simul transmittibus, à quâ aut aliis terrestribus &c. si tandem angustentur ita ut non nisi aqueis, tenuibus, flexilibus, concordant transitum, tenuis & perspicua erit urina, qualis etiam ob solam seru tenuis esse potest abudantiam. Quæ si appearant, cætera, sc. individui constitutio, cause prægressæ aut præsentes &c. consentiant, primæ speciei catarrhum in procinctu stare probabiliter colligitur.

X. Qui suæ prodit indicia præsentia, sepe primo effluxu humoris sero spuitur, propter absentiam acrum insipidi, ex ore naribusque, ob convenientiam humoris secreti cum poris harum glandularum cæteris amplioribus, tum quod citius hæ aëris afficiantur injuriis. Quæ tamen cum excretioni non sufficiant, in alias quoque corporis glandulas, parteqque receptioni idoneas fluxio vergit, viasque liberas non inveniens, stagnans, atque in copia collecta, eas attollit in tumorem ædematosum cum sensu frigoris & obtusi doloris, à materia miti aquosa minus mota, sola distensione, atque hinc aliquali fibrillarum continui solutione, tristem menti sensationem offerente; qualem &c. à capitis partibus percipit, auctis quæ ejus gravitati modo adscriptæ sunt causis, atque hinc nata obstructione, distensioneque molesta vasculorum cerebri minimorum, quæ in causa sunt, quod adeò frequenter simul afficiantur, à materia peccante simili, partes quæ his gaudent vasculis exiguis anastomosis, ut caput, pulmo, & glandulæ omnes. Id quod procul dubio errori, quo à capite (fere semper in harum læsione partium simul laborante) deducuntur omnia, quæ ab his partibus excernuntur, ansam præbuit, cum tamen in pulmone v. gr. hæc simul fieri posse doceant glandulæ in eo detectæ, & vasa lymphatica satis numerosa. In quibus si stagnet lympha, aut extra vasetur, morib aut accedente aëre frigido viscida evadat, distendendo, moleste præmendo pulmonum membranulas, vehementiorem in musculos diaphragmatis cæterosque expiratori servientes spirituum influxum concitabit, atque adeò tussim profundam, raucam, tumentibus simul stagnante lympha trachæ glandulis, aut pituitâ obfessis partibus laryngis, angustata imprimis rimula ejus, unde haud fecus ac organi musici fistulis, præsertim quoad rimulam foribus obfessis, aëris fluxum liberum, & requisitam allisionem impedientibus, vox non nisi obscura, fusca editur; fordes hæ, ob tenacitatem pertinaciter adhærentes, laboriosa screatione sunt abradende. Porro nares obturantur, tumefacta ab humorum affluxu majore, quam effluxu, earum substantiâ glandulosâ, obstruente vias aëris è naribus in palatum. Perit tandem olfactus gustusque, partim ob datam

ante

ante sensuum hebetudinis causam generalem, partim quia ab humore salivali ineffaci, aut viscido nimis non eliciuntur satis, sed obvolvuntur particulæ alimentorum, corporumque odoriferorum salinæ efficaces, ut afficere nequeant papillas linguæ nerveas, palati ac narium, quæ etiam obduci possunt eadem pituitâ, aut comprimi ab ea in vasis glandulisque stagnante.

XXI. At verò non raro longa alia rerum facies est, multumque diversa exhibetur scena, cum sanguinis dyscrasia acris est, & colluvie feroſæ sanguinis & humorum aliæ facultatis diversæ admixtæ sunt particulæ, non mixtæ æquabiliter, sed in fluores pronæ, quæ aut a causa externa commotæ aut sponte hoc est ob heterogeneitatem extraordinariam materię æth. accensentes influxum, vehementius ebulliunt, ac modo exſtuationes faciunt calidas, (si fuligines hinc exſuscitatæ saline fuerint subtiliores, in habitu præsertim liberum non invenientes transitum, ad fibrillas membranulasque allidant, atque eas vehementer & varie movendo caloris excitant ideam) modo horrores & frigoris sensationem, si acidæ sint, lancinantes minusque solito moyeant. Quæ certè inordinatam arguunt humorum miscellam, atque modo hæc modo illa exſuperare aut fecedere. Comitantur fere vigilia sensuumque nimia alacritas à spiritibus non tam copiosis quidem, quām potius ob heterogeneorum additionem fuliginum, acribus, motis nimium, neque auscultantibus imperio mentis, atque adeò tendentibus plus satis & diu cerebri partes, nervorumque fibrillas. Ad quæ, si cum aliis sanguinis humorumque acrimoniae indiciis, accedat urina rubicunda; multis quasi arenulis referta, & ceteræ suadeant circumstantiæ, secundæ speciei, calidum vulgo imminere Catarrhum indicio sunt. Etenim rubedo illa, salia in fluorem data, & exaltata ostendit, istæ verò concretiones saline, quæ arenularum instar apparent, glandularum obſtructiones significant, sunt enim hæ grossiores, illæ salium particulæ asperæ, ramosæ, quas §. xiv. facile glandularum infigi poris dixi, abrasis per continuò adhuc transcuntes lymphæ partes tenuiores asperitatibus, propulsæ ex ipsis poris, cum reliqua lympha sanguini redditæ, ac cum sero ſaccatæ per renes. Hæc inquam si appareant secundo speciei minantur catharrum.

XXII. Qui ſimiliter primò ſe non raro manifestat tenuis e naribus effluxu humoris, qui & quibusdam manifeſte percipitur à capite decidere per vias §. xviii. videndas. Hic cum acrior sit eo, qui quotidie nares humectat, ſenſiles earum membranulas pungit, vellicit, atque hinc concitato ſæpe vehementiori, inordinato in musculos inspirationi, & exſpirationi famulantes spirituum influxu, ſternutationem excitat frequentem. Si diutius hæc perseveraverint, excitato propter hanc irritationem spirituum, sanguinis, ætherisque influxu vehementiori, exuruntur nares, atque perſcifſis, ruptisque per hæc acria vehementius adacta tubulis & fibrillis exulcerantur. Perro hærentibus in carnium porofitate, habituque obſtructo ſpiculis salineſ, dum ob spirituum defectum par-

tes collabescentes in hæc impingunt molestè, *totum corpus quasi fustibus exceptum, ad minimum contractum dolet, impulsis hoc modo magis dictas in aciculas membranulis.* Progrediente malo, auctisque secessionibus, aet excretione manente præpedita, humores acres, stagnantes in glandulis, morâ corrupti magis, suâ acrimoniâ, aut facta ebullitione, carceris sui parietibus subitò disruptis, motu citatiore crumpunt, *ac defluxiones sunt vehementes, & subitaneæ magis quâm ab humore miti, sæpe viscido ac minus mobili, ab una parte in aliam, à glandula in glandulam, per vasa lymphatica,* (vid. §. vi.) aliasve partes; aut humore extravasato, juxta membranarum, muscularumque interstitia; atque etiam alibi liberum non invenientes transitum, accumulati. *Tumorem causantur à sanguinis vehementer irruentis transitu, ob distensionem aliquantulum retardato, & hinc excitata phlogosi, rubicundum, pulsam ab alluvione arteriarum ad partes tensione duras: admodum dolorificum, non ob summam modo distensionem, sed & fibrillarum continui solutionem, ab impulsis vehementer acribus, vel salinis, unde pungentes, vel acidis, unde scindentes, laciniantes percipiuntur dolores acutissimi, quales etiam *capitis* comitantur ob rationes ex §. xx. petendas.*

XXIII. Prout autem in varias hæc fluxio dirigitur partes, ob convenientiam humoris exsuperantis cum poris, aut eorum debilitatem, (quam vide §. xiv.) ita diversa gignuntur mala. Sic si ad aures dirigatur, *copiosissimi humoris ichorosi fiet per eas effluxus, infantibus familiaris ac sæpe salutaris, cuius scaturiginem non ignorabit glandulosam in meatu auris externo substantiam noscens.* Neque etiam spontaneos, & sæpe copiosissimos *alvi fluxus, à Catarro è capite deciduo amplius deducet, in glandulas intestinalium ob materiæ peccantis cum his convenientiam, versum esse fluxum potuisse non ignorans.* Neque est, quod glandularum in his & in auris meatu (eadem aliarum partium, ubi similia contingunt, ut in pulmone &c. ratio est) objiciat exiguitatem, humoris verò excreti copiam, cum his non obstantibus, deduci satis possit, ex conditione sanguinis adfluentis, cui humor excernendus copiosus tantum sit confusus, ut per poros convenientes facilime separari possit, laxitate glandularum, aut præsertim tali constitutione fermenti ob quam humor allabens etiam forte non vitiosus, vertatur in ejus naturam, & sæpe corrumpatur diversimode Conf. §. xiv. Ita si in fauces, sive à superioribus per rimulam, sive ex earum glandulis, effundatur humor acris, molestè corrugatis, & lacerans membranulas, illæ *exasperantur.* Per irritationem *tussicula moveruntur, dum peccans humor paucus est & tenuis, atque adeò nihil ejicitur sicca: abraso autem, laryngis superficiem internum obliniente, emoliente humore lento, atque adeò hinc exsiccatis nimium & tensis membranulis, clangosa est, dum fortiter nimis resiliunt à chordis ita tensis aëris particulæ, quæ obtundi nonnihil solebant ab humore prædicto, ut mitior ederetur sonus.* Si ad pulmonis vesiculos per-

gat fluxio, aut ipsæ ejus glandulæ lympham eructent, morâ admodum acrem, salinam, acidam, cuius particulæ acuminatae, à materia æth. propter obstruc-
tos, mutatosque poros vehementius influente, si in tenellam pulmonis sub-
stantiam impellantur dissolutionem continui, sanguinis & lymphæ extravasa-
tionem, ulteriore corruptionem, atque adeo ulcus pulmonis & phthisis
producunt. Austra verò, & membranas adstringendi vi prædita si fuerit
lympa, & ab ea quæ humectationi inservit coagulata, hærente, angustatis
aëris itineribus, *difficilis orietur respiratio*, quæ aucto malo in tantum potest
invalescere ut minetur *suffocationem*, imo inferat illam, intercluso proorsus
aëris accessu: aut dum lympha haec multum austera, vitriolica, ex hisce glan-
dulis, aliisque cordi vicinis, sanguini consertim affunditur, ejus coagulatio-
nem, polypum, atque omnium stationem efficere potest. Talia enim
extra corpus, per varia sanguini affusa uti fieri posse docet Willis in egregio
de fermentatione tractatu, ita & analogicè in corpore nostro contingere, ni-
hil est quod vetat. Usque adeò quidem rarius degenerat lympha, aut fer-
mentum in glandulis genitum, satis frequenter tamen ita deflectit à naturali,
ut sanguini affusa, æquabiliter cum eo misceri nequeant, sed ob heteroge-
neitatem, insolitum ætheris iusluxum causentur, hinc fermentationem san-
guinis præternaturalem, atque adeo *febrem* quæ *Catarrhalis* dicitur, & habi-
tualem dispositionem catarrhalem fere semper comitatur, lenta & continua.
Ast in aliis non semper observatur, cum non actualis semper requiratur in
sanguine materiæ catarrhosa; separatio sed facilitas ad secedendum in locis con-
venientibus, saltem non tanta, ut extraordinarium inducat ætheris iusluxum
quo mixtura ejus perturbetur. Quod si quacunque de causa in articulos ver-
gat catarrhus, glandulae illorum officio recte non fungantur, sed loco glutini-
osi humoris, (qui omnis acrimonia expers ad facilitandum lubricando mo-
tum, ad instar exungie comparatus est naturaliter) lympham separent acrisa-
linam, ac per vasa lymphatica deponant in articulorum membranas, & liga-
menta, partes hec admodum sensiles ab acribus punctæ, & vellicatae, *dolo-
rem exhibent arthriticum*, qui revera non nisi species, & major gradus catarrhi
est, quod & non raro de pluribus aliis, epilepsia, apoplexia, tabe dorsali,
angina, pleuritide, peripneumonia, cordis palpitatione, vomitu, singultu, &c.
affirmare licet, atque hos una cum aliis quamplurimis à secessione varia &
mixtione humorum in glandulis oriri posse, ostendere, nisi thesis modo, non
volumen practicum conscribendum esset.

XXIV. Non etiam difficile erit, hæreditariæ hinc dispositionis catarrhosæ;
& habitualis rationem petere, attendenti, à parentibus catarrhosæ primam mali
occasione suppeditari posse, prima foetus conformatio, idque tum vel com-
municatione spirituum vitiosorum & materiæ humoralis, catarrhosæ h. e. cru-
dæ nec æquabiliter mixtae (quæ continuo generatur ob similes fermentatio-

nes, multum juvante fætu in lucem edito victus ratione simili, quoad alimenta, affectus &c.) vel determinatione & transitu spirituum & humorum, (aut spirituum solummodo, quando à patre malum est) substantia aut motu vitiosorum in glandulis vitiosa conformatio, molli, & ductili adhuc existente fœtus corpûsculo; atque hinc certius sequetur malum, quâm ex vito in fluidis tantum, quod mutari temporis tractu, diversâ victus ratione &c. potest. Ab ipsa quoque nativitate, fermentum aliquod in glandularum anfractibus deponi & hærere posse, non nisi certa humorum constitutione, influxu perculiari ætheris, aut alia causa externa in actum deducendum, atque adeo multos sœpe post annos demum fluxiones producturum, nihil est quod obest. Similis pororum fermentique constitutio, habitualis dispositionis catarrhoë causam præbere potest, imprimis, si aut ab hujus fermenti vitiosi diutina admixtione, aut alia quacunque de causa, fermentatione sanguinis debilitata, aut aliter vitiata, cacochymia quælibet humorum pertinax, nec facile mutabilis inducta sit, *νεφρος* sanguinis infirma, facile dissolubilis evaserit, spiritusque pauci debiles; Ad quæ porro tubuli & pori glandularum cæterarumque partium firmantur: quæ vicissim humores adfluentes diversimode afficiunt, quæ miscenda erant non admiscent, sed eorum loco sœpe fermenta vitiosa, acria &c. Unde causa habituali reddita, etiam effectus talis fit necesse est, similiter patet ex his quomodo juniores pariter & senes, magis catarrhis sint obnoxii, sc. ob fermenta & fermentationes debiliores, hinc mixturam sanguinis minus firmam, spiritus paucos, debiles, & præter vitia fluidorum in senibus præsertim, obstructiones, collapsus tubulorum in glandulis. Eadem ferme ratio est, quod magis quâm viri vexentur fœminæ, & quæ ad eas proximè accedunt habitu prædicti fœmineo, molli, & ob sanguinis spirituumque influxum minus vegetum, laxo, atque ideo facilius admittente influxus præternaturales.

XXV. Atque ex his in genere nunc sponte hæc fluit prognosis, sc. haud flocci faciendum esse affectum, qui tot ac tantorum Author est malorum, prout vix ulla ab ejus insultu tutâ, certa est, etiam nobilissima corporis pars, cui igitur ut hæc avertantur maturè sit occurrentum. Etenim in principio, cum altas nondum egerit radices, quando à causa externa est, non notabili existente humorum aut glandularum vitio, superatur facile, contra quando firmatum est malum, & habituale redditum, aut si hæreditarium sit: difficuler enim alteratur tam firmata humorum dyscrasia, (cum in unum conspirent omnia, & licet aliiquid efficeris in his; continuò tamen vitiosi humores à glandulis affundantur) Difficillime autem vitiosa glandularum tex-tura, imò plerumque nullo modo emendari potest, cum omnem fere medicamentorum eludant vim. Hinc & senibus fere non curatur. Juxta Hipp. aph. 40. II. Mitis quidem fertur facilis, sed si crassus, viscidus fuerit,

atque

atque hinc obstructiones & plures, & pertinaciores sint, longioris curæ est. Contra verò tenuis & acris citius fere terminatur, ast majori cum periculo, quod imprimis determinandum ex nobilitate partis ad quam sit destillatio, & majori vel minori ejus impetu, & vehementia; quæ quantò major tantociùs ad curam provolandum.

XXVI. Sicuti autem causas variare multum, & effecta, sive symptoma, nunc constat, ita & curandi methodum non minus diversam esse, ultro sequitur: singulis tamen speciale accommodare curam, neque temporis, neque instituti ratio patitur. In genere igitur, in omni catarrho particularum sanguinem constituentium, imprimis seri proportio, ~~regia~~ emendanda, soluta restituenda, infirma & debilis firmando, atque adeo spiritus balsamici quorum hic fere semper defectus est, sunt restituendi: laborandæ partes tam mandantes, quām recipientes, glandulæ sc. & cæteræ per quas porrò fluit viæ. Impeditas obstructaque aperiendo, patulas nimium, & laxas adstringendo, sic ut tono glandulis restituto, h. e. ordinario spirituum transfluxu & ætheris, lympha à sanguine liberè transfluente secerni possit debitè, & excerni. Quæ mediis obtinentur partim internis, partim externis, tum convenienti diætâ.

XXVII. Quod ad ~~regia~~ &c. fluidorum vicia, hæc variis & diversis corringtonur (uti liquet ex natura fermentationis, per quam omnia operantur, medicamenta interna) sc. addendo quæ deficiunt, corum quæ exsuperant copiâ, aut facultate, correctionem, mixtionem, secretionem, excretionem, per varias partes promovendo, inducendo, moderando. Cumque id quod deficit, hic spiritus sit, oleosum aliquod ligans, atque horum respectu in omni fere catarrho humor fluore peccet, & rarissimè non aliqua simul acrimonia, hinc sepe ab aliquâ incrassatione, (nisi nimis copiosa & turgens fuerit materia) cura videtur inchoanda, ut fluxionis quasi paroxismus sedetur, mitigetur acrimonia & dolor; Cui scopo optimè satis fit, sub vesperam exhibendo massæ pilul. de cynoglossa g. v. vel viii, addito si opus gr. i. laudan. opiat., vel harum loco sequentes componi possent ad imitationem trochisc. solenandri. R. thur. mas. & succi glycerrh. a. Dj. myrrh. elect., opii dissolut. croc. a. gr. vi. F. pilul. n. vi. quarum similiter una sumatur sub ingressum lecti.

XXVIII. Hoc modo cohibito nonnihil fluxu, si pacet serum facultate, si qualitate tantum, ejus correctioni porro insistendum, si acris sit obtundendo, miscendo melius, quod recte agunt cum Spirituosis mixta pertinacia, quæ diu in sanguine immutata permanent; antequam ad ejus motum misceri & accommodari queant adeoque vitiosis resistunt fermentationibus, dum impediunt ne materia æth. undique irruat, sed tantum admittatur constanter ea, quæ corum adaptata est poris, valde pertinacibus humorumque cra-

si ami-

si amica, partim acidi aut salis strictè dicti aciem, dum in corpuscula hæc si-
xa & rigida impelluntur, obtundunt, diffingunt, aut salæ ita cum aliis
miseri faciunt, ut non apparent. Talia sunt testacea terrea, corollia, mar-
garit. oc. cancri., Ebur, C. C. Lap. Bezoar, cret. bolus armen., (quæ etiam
imbibendo serum ejus proportionem emendant) aurum, argent., foleac., li-
matur. chalyb. item sales lixivi, card. bened. absinth., tartar. hujus Sp. recti-
ficatus, oleum. tartarus vitriolat. salia cætera, armeniacum, nitri, pru-
nell., sal commune, ejus sp. ut & nitri; amara, absinth. centaur., card. bened.
&c. duras habentia rigidasque particulas, quæ in tartareas, quibus glandula-
rum obſidentur pori particulas impulsæ, eas excutere, sicque obſtructions
ſimul reſerare valent. Ad hæc mixturam corrigendo, acrimoniam quoque
temperant volatilia, & ſpirituosa, ſales volatiles, C. C. succini, ſpiritus ex
vino herbisque ſpirituofis, cæphalicis vulgo, & aromatis parati, fal. volat.
oleos, sylv., aq. aut potius sp. R. Hungar., ſola vel cum fp. ſalis armen., fp.
tanacet. tinctur croc., caſtorei imprimis, quæ multum hic poteſt, uti &
ipſum caſtoreum ſua ſpirituofitate &c. Plurimum quoque hic valent gum-
mata, acrimoniam ſeri temperando ſcorbuticam, dum quid lenti relinquunt,
arabicum, tragacanth. &c. certè omnibus ſatisfaciens medicationibus myrrha,
vi ſua qua pollet ſpirituosa, oleoſa & balsamica; qua acrimoniam temperat
imprimis acidam, effenvescentiam ſeri nimium cohibet, & justam conciliat
conſistentiam, ut merito balsamum audiat nostri ſanguinis. Similiter egre-
gium eſt in acribus fluxionibus thus, ejusque cortex; imprimis olibanum, ſive
thus verum, quod ſpirituofius, magisque reſiftens acido, & recte pulveri-
ſatum bis de Die ad Ds. exhibetur, ſolum, vel una cum maſtiche, ſuccino,
& gr. ii. iii. Croci. Maſtiche etiam ſola exhibita à Ds. ad zg. involvendo acri-
moniam corrigit, & vi adſtrictiva glandulis reſtituit tonum, & ventriculo
ad quem ſepe imprimis eſt reſpiciendum hic, ſuccinum ſimiliter acidum
corrigit; lympham ſi opus fecernit excernitque, & egregium eſt ejus oleum
ad gutt. iij. iv. cochlear. vini ſumptum. Denique alterant quoque humo-
res acres, ſpiritus eſſeres compescunt, & ſecessionem impediunt opiate, præ-
ſertim laudanum cydoncatum ubi fal, tinctura opii cum fal tartar. parata
ubi acidum abundat, quæ recte ab initio, viribus conſtantibus, ubi no-
tius qualitas acris, vehemens, quam quantitas peccat, exhibeat, in mix-
tura cardiaca, cum aqua aut oleo meliſſæ, (quod de acido volatili parti-
pans, egregie ligat, neque ita calorem excitat) aliisque cardiacis, primi &
ſecundi generis, h. e. ſpirituofis & pertinacibus, que cum ingrediantur ſimul
compositionem theriaces, Diascordii, Mithridatii, hinc & illa conuenientia
hic ſuppeditant medicamenta, omiſſis præſertim iſtis calidis, pipere, zin-
zib. &c. ſic diaſcordium recte exhibetur cum confectione hyacinth., vel
Alkerm. &c.

XXIX. Quod si verd viscidity peccet serum, illa incidenda, atenuanda, quo simul obstructionibus satisfit. Conducunt hunc in finem quoque sales fixi, ex amaris, præcedenti §. notati, qui, una cum sanguine ad angustias quibus facile adhærent viscida delati, hamositate sua illa abundant, ac in sanguinem reducunt, aucta ejus fermentatione magis attenuanda, & si pote, miscenda. Quo ultimo modo, etiam volatilia, & spirituosa idem præstant, uti sunt præter dicta, herbæ cephalicæ calidiores dictæ, magis penetrantes, rosmarinus (cujus decoctum cum baccis junip., in cerevisia melioris notæ egregium est, additis colatur, olei ejusdem gutt. aliquot) majorana, pulegium, calamenth., mentha, quæ præter attenuationem corroborat, & refutat particulis salinis fixis. Quibus etiam ligna, guajacum ejusque cortex, lign. sassefras, cortices tamarisci, cappar., &c. prosunt, uti & radices, helenii, acori, polypod. quercin. &c. incidentes aperientes. Egregiè etiam hoc in casu convenientiunt gummata aromatica, præter dicta §. præced. galbanum, opopanax, bdellium, sagapenum, & imprimis ammoniacum, quod optimè incidit pituitam viscidam, obstructionsque glandularum referat. Valde penetrantia quoque sunt, & viscidum incident sp. nitri, sulphuris &c. acida, cocta præser-tim, & mixta cum spirituosis, quæ simul sal temperant, & secessione resistunt. Atque ex his &c. pro diversitate circumstantiarum, individui, & exsuperantium, vel deficientium particularum, sive spirituosa, oleofæ, amaræ, acidæ, aut salinæ fuerint, varia variè, quoad materiam & formulas parari, & misceri possunt, ad serì vel crassi nimis & viscidi, vel fluidi, tenuis & acris correctionem: notando de hac in genere, falsos humores acida, imprimis spirituosis mixta recte corrigere, & ad meliorem deducere mixturam, & contra acidos salina, lixiviosa &c. Pleraque autem hactenus allata, si copiam aut qualitatem invenerint non miscibilem, simul fere secretionem quandam & excretionem causantur, per diaphoresin aut urinas; cæterum si non, ita alterando, miscendo, naturalem inducendo fermentationem, cacockymia levís, acris, aut viscida, superari potest, absque ulla, saltē natabili evacuatione.

XXX. Copiosa autem existente colluvie serosa, aut cacockymia tantâ, ut alterantibus, fermentatione miscente subigi nequeat. Jam talis inducenda fermentatio, quam secretio sequatur si opus, & excretio, per diversa loca convenientia, & ad quæ magis vergit humor peccans, juxta aph. I. 21. quod determinandum ex natura humoris, prima occasione mali, & loco ubi subsistit, qui vel sanguis in quo fluctuet, vel habitus esse potest, renes, vel primæ viæ, quod si ab intestinis data fuerit occasio, vel saltē ad illa vergant, ob convenientiam materiæ exsuperantis cum poris glandularum inte-

stinalium, eo igitur ducenda, h. e. exhibenda sunt talia, quæ fermentent, separent præ aliis, hujusmodi particulas, quæ separatæ, & in sanguine flūtuantes, una cum eo ad intestina delatae, per eorum glandulas, ob dictam convenientiam, excernantur. Idque statim procurare licet, si mitis fuerit & tenuis catarrhus, per hydragoga dicta leniora, ut rad. jalapp. grossæ pulverisat. ad 36. cum pulv. oc. cancr. gr. xii. aut 3j. cui recte additur mastiche ad gr. vi, vii. vel succinum, ad aliqualem incrassationem, & mixturam meliorandam, tum nitrum optime additur, sal prunell. &c., resina jalapp. magis fidè operationis est, & vel soluta in haustu dari potest, ad gr. viii, viii, x, vel in pilulis, quas ingredi aliquando hoc in casu potest, hydragogum forte, gumm. gott. ad gr. v. vel vi, sed non nisi temperatum, gumm. tragacanth., sagapen., Mastich. myrrh. ol. anis. &c.

XXXI. In viscido autem, vel acri catarro, quæ misceri alterari nequeunt, non semper statim sunt evacuanda, sed ex aph. VII. 70. & I. 22. corpora sæpe prius fluxilia reddenda, cocta per alvum educenda non cruda, h. e. attenuanda prius viscida, viæ aperiendæ, nimis arcte mixta fæcernenda, acria obtundenda, cum aliis miscenda, medicamentis §. xxviii. & xxix. recitatis. Imprimis verò si acidum sit serum, vix, aut saltē non nisi probè correctum evacuandum, & quidem lenioribus, eo magis, quo major acrimonia & orgasmus est, & acria glandulis impæcta magis, tum enim vix tentanda evacuatio per alvum, sed potius ubi adhuc sanguini sunt admixta, & turgent, tum verò etiam via modo ostendenda, qua exitum natura inveniat. Imo ne quidem extra casum acrimoniæ conducunt semper fortia eduentia, præsertim nondum reseratis obstructionibus, quia frangitur iis tenella glandularum textura, & materia fortius adigitur. Si igitur nimia non fuerit visciditas, aut acrimonia, statim quidem exhibere licet evacuantia, sed cum alterantibus mixta sæpe pertinacibus, spirituosis. Idque commodissimè hic obtinetur, pilulis aperientibus ex gummis, ammoniaco, sagapen. mirrh. mastich. succino &c. quibus pro diversa qualitate, & quantitate, varia adduntur evacuantia, resin. jalapp., scammon., in viscido trochisc. alhand. ad gr. ii. iii. tum Mercur. dulc., tartar. vitriolat., chalybs. &c. pertinacia, quæ resistendo diu, sensim ex latibulis glandularum excutiunt. Egregiæ quoque hic sunt pilul. Magistrales Geffell, pilul. de hier., de succino craton, mastichinæ, & similibus optimè adduntur gr. aliquot castorei, e. gr. pilul. de succin craton. ad 3j. castor. gr. ii, iii, iv. & omnibus addi convenit gutt. ii, iii, ol. menth. succin., sassefr., anis., fænic. carui &c. Imo in magna acrimonia, addere quandoque oportet ex massa pilul. de cynoglos., vel de styrace, aut sub vesperam exhibere aliquod paregoricum. Utile etiam hic est, quia serum acidiusculum simul tempe-

temperat, rhubarbarum in substantia, à 5*lb.* ad 3*j.*, cum oc. cancer., nitr., mastich. ad 3*lb.*, utilissima etiam ptisana laxans River. ubi acrimonia salina simul corrigenda, & alia in aliis. In ventriculo subsistens faburra, cruditas aliqua, si malo ansem dederit, illudque foveat, vomitorium convenire potest in principio, si permittant circumstantiae, materiam vomitorii vero determinat species cruditatis.

XXXII. Post hæc evacuantia, aut iis etiam prætermisso si non requirantur, (sæpe autem requiruntur, ob hominum gulositatem) summae frequenter utilitatis sunt per habitum discutientia, cum sæpiissime in eo causa subsistat, aut eo vergat, & maximè naturalis sit seri evacuatio per insensibilem transpirationem, quæ promovenda, augenda, medicamentis diaphoreticis, quæ, magis quam per alvum evacuantia, serum peccans sanguini permixtum solvunt, & evacuant, tum ea magis quæ in glandulis hærent, atque ita optimè earum obstructions expediunt, simulque si opus sal & acidum corrugunt, aut viscida incident attenuant. Adeoque pro exigentia magis aut minus volatilia, spirituosa, vel fixa & pertinacia eligi possunt. Ita in Catarrho acri, si metuatur à nimia agitatione, hinc majore separatione, exhibenda pertinaciora, ut diacord. nobil., rob. sambuc., antimon. diaphor. &c. sub forma boli vel electuarii, e. gr. ʒ*z.* rob. sambuc. 3*j.* antimon. diaph. , oc. cancer. a. 3*lb.* M. F. Electuar. cuius mane & vesperi sumatur ad magnitudinem castan. vel addita aqua diaphoret. aut alexipharm. &c. haustus fiat, aut mixtura cum aq. meliss., papaveris rhead. ejusque syrupo, & in valde acri gr. j. aut ij. laudan. opiat., ejusve tincturâ ad 3*lb.* ut simul sedetur obullitio seri, & secessio major præveniatur. Quod si minus à calore metuamus aut motu, convenit theriaca ad 3*j.*, cum sal. card. bened. & gr. iv. camphor. ad obstructions. aut mixturæ generosiores, ex aq. menth., antiparalyt., antapoplect. theriacal., cinamom, cum tinct. castor. ad 3*j.* in mixtur. unc. v.

XXXIII. In malo pertinaci & inveterato, convenientissimum est decoctum ex lignis, imprimis guajaco, cum herbis cephalicis magis minus penetrantibus calidis, e. gr. ʒ*z.* lign. guajac. ras. 3*ij.* iv. lign. fassefras. 3*j.* macer. in s. q. vin., vel hujus & aquæ an. part. æq., aut aquæ puræ q. s., per hor. xxiv. loco calido, add. ol. tartar. per deliq. 3*j.*, aut tartar. rhenan. 3*lb.* post incoq. leniter, vase diligentissime semper clauso. herbar. rorismar., chamædr. chamæpith. meliss. an. mj. baccar. junip. 3*vi.* glycyrh. contus. 3*lb.* colatur. 3*xl.* usui ita dari potest, vel pro indicatis varia addi possunt, spiritus, tincture spirituosa &c., usus sit bis ter de die, ad 3*iv.* v. vi. præsertim mane ut in lecto diaphoresis promoteatur. Quod si simul per alvum evacuans velimus, tale redditur optimè incoquendo in petia suspensa

pulp. colocynth. ʒ. aut ʒij. aut in singula dosi infundendo per noctem
 pulp. colocynth. gr. 1v. v. interponendo quandoque hujus haustum, ut
 quod per alvum evacuari conveniens est, separatum jam, vel separandum, hoc
 modo eliminetur simul. Et certè multiplici constat experientia, ma-
 ximæ quod sit efficaciæ hujusmodi decoctum, in Catarrhis chronicis:
 eum per particulas lignorum &c. rigidas, penetrantes valde, glandularum
 obstruktiones pertinacissimæ sensim solvantur, qua iis inhærent fermenta
 vitiosa corrigitur, excutiantur, sed non nisi continuato aliquamdiu ejus
 usu. Quibusdam verò calidum nimis est, nimium movet; atque in tali
 casu, vel horis aliquot ab ejus sumptione, sub vesperam, sumendum aliquod
 emolliens, humectans, emulsio aliqua &c., vel ejus loco parandum erit de-
 coctum ex lign. santal. citrin., falsaparil. chin. rad. bardan. addita sub finem
 glycirrhiza, quibus egregiè temperatur acrimonia, & evacuatur per urinas,
 quod sèpe hic valde proficuum est, & fere simul fit à plerisque diaphoreticis;
 rectissimè tamen & hic specialiter procuratur, per emulsiones ex semi-
 nibus, inter alia seminis cannabini, tum sapone veneto ad ʒj. in lacte exhibito,
 quæ sua oleositate, simul acrimoniæ resistunt, & serum separatum
 quod misceri potest miscent. Atque hæc interna sunt hic maximè efficacia,
 quæ restant sunt externa.

XXXIV. Inter quæ primam se offert V. S., quam licet Catarrhus ex sua
 essentia non indicet, non raro tamen conductit, ratione circumstantiarum,
 suppressæ evacuationis solitæ, mensium hæmorrhoidum, &c. atque adeo
 propter abundantiam, vel etiam ad motum, & rheumaticam sive univer-
 salē abullitionem refrænandum, quo præveniatur suffocatio aut nobilis
 inflammatio partis, imminutione & revulsione materiæ, ad quod sèpe ite-
 ratis opus est V. S. Cætera glandulas aliasque partes affectas, imprimis
 respiciunt, aguntque adstringendo, aperiendo poros, materiam hærentem
 reddendo fluxilem, evacuando, revellendo &c. modis. Notanda verò Me-
 dicorum vulgaris regula, topica non esse applicanda nisi præmissis universa-
 libus, ob metuendum alias affluxum nimium, obstruktionesque hinc ma-
 jores. Sed patitur exceptionem, si non quantitas in toto, sed qualitas pauca
 peccet, tum enim in principio applicata topica, multa præstant. Ita tran-
 spiratione impedita laudantur frictiones patinis asperis, balnea tam artificialia,
 quam naturalia, (præsertim si uti fere solet, simul bibantur aquæ thermales,
 quæ penetrantibus & pertinacibus mineralium particulis, imprimis
 glandularum referare obstruktiones aptæ sunt) & apertis per illa poris, illi-
 tiones oleorum penetrantium, succini, rorismarin. mixti cum sp. vini, vel
 aq. R. Hungar., quibus capite imprimis affecto, ut sèpe est, optimè il-
 linuntur tempora & suturæ, quo melius penetrant. Laudantur & eo in
 casu

casu suffumigia, quæ non modo in partes affectas, glandulas oris & narium agunt, adstringendo, vel aperiendo pro necessitate, sed & inspirata cum aëre sanguinem in pulmonibus alterant; ita optimum fit suffumigium ex succino & mastiche, cui aliquid thuris, cariophyllorum &c. addi potest, aucta dosi mastiches si adstringere, succini verò si attenuare magis sit animus; usurpari autem possunt bis terve in septimana, matutino tempore, ventriculo vacuo. Huc refer suffumigium vulgatissimum ex nicotiana, quo in hoc affectu nihil deprædicatur magis, adeò ut ejus usu à plurimis se præservari catarrhis afferant experti, quia eo intermesso variis infestantur, nisi sàpè tribuendum id potius videatur, tubolorum quos quotidiano usu, (contra C. Celsi præceptum adversæ remedia valetudinis in secunda consumentes) nimis relaxarunt, collapsi, ob defecatum irritationis & hinc spirituum influxus, conf. §. xvii. Cæterum aperiendo vascula, evacuando seri copiam, & vi qua pollet narcotica quibusdam, acrimoniam obtundendo, sàpè plurimum potest. Similiter & errhina ex eo parantur, sternutatoria & masticatoria, præsertim illo brasiliensi nigro admodum acri, quibus plurimum evacuatur seri. In genere masticatoria præferuntur ut tutiora, & commendatur inter alia, illud ex mastiche sola in tenui præsertim, in viscido calidiora valent, ut pyrethrum, &c. & egregium eo in casu fit gargarisma ex decocto guajaci cum salvia, addito tantillo sp. vini. Errhina præferuntur liquida siccis, eo quod melius penetrant, minus obstruant, aut impedian transpirationem. In acri destillatione cum fructu lac tepidum vel solum, vel cum laudano opio, si magna sit acrimonia, naribus attrahitur, in viscidiore sp. vin. simplex, vel cum oleo quodam mixtùs, aut succus betæ. In narium verò obstructione egregius est sp. sal. armen. in phiala longioris colli naribus oblatus.

XXXV. A sternutatoris cavendum nimis acribus, ne vehementi illo motu convulsivo nimirū concitetur affluxus, secessio & effluxus sàpè tantum tenuioris materiæ, firmius impacta crassiore, unde mala horrenda quandoque, apoplexia, epilepsia, gutta serena &c. oriuntur. Haud raro tamen isto motu excutiuntur in latibulis capitis hærentia, quæ alio modo avelli vix possent. Cum verò acria sint omnia, vix nisi in catarrho miti, qui rarer est, locum habent. Et certè quamvis à capite nunc omnes non deducantur catarrhi, plurimum tamen prosunt hæ seri per hasce vias patentes auctæ evacuationes, cum in commodum cedant totius, quod & de excretione per vesicatoria, fonticulos & setacea, capiti præ cæteris applicari solita affirmandum, quamvis hæc & aliis partibus, unde, fluxio fit, maximo sàpè cum fructu adhibeantur, ad avertendum à partibus nobilioribus, ut oculis, &c. seri fluxum, sed tum fecus quam vulgo obtinet, non nisi

DISPUTATIO MEDICA

in principio applicanda, ubi verò in malo inveterato eorum usus est, fermenti vitiosi in glandula hærentis eductioni inserviunt, atque miranda quandoque præstant, uti observatum non semel, neque contrariatur his ratio, cum fermenta, fuligines acerrimæ, quæ quandoque humore subtiliores sunt & instar fulminis transeunt, hac datâ portâ transpirare possint &c. servitutes verò sunt molestissimæ, ad quas non facile deveniendum, siquidem aliis satisfieri possit. Tumorum, ulcerum &c. quæ catarrhis originem debent curatio, ex chirurgia, & Authorum specialibus petenda capitibus. Mihi sola super est addenda diæta.

XXXVI. Quæ recto regimine rerum nonnaturalium absolvitur. Adeoque ex latini Hippocratis Consilio, ubi aliquid ejusmodi sensimus, protinus abstinentiam, à sole, balneo, vino, venere &c. quæ occasionem huic dederunt affectui, aut cum sovore valent, quæ optimè proponuntur ab eodem Authore lib. I. cap. V. in fin. lib. IV. cap. 2. & videri possunt §. præced. xxviii, xxix. Præ omnibus autem studendum, ut per convenientia alimenta bonus suppeditetur chylus, hinc sanguis generetur laudabilis, spiritusque sufficiens, balsamici. Vitanda igitur acria quævis, acida, salina, & quæ movent nimium; in constitutione acri præsertim, & exhibendi potius cibi aliquantulum resistentes, acrimoniam demulcentes, pultes hordeaceæ, avenaceæ, lac ebutyratum, cum ovi vitello, pomo acido-dulci, & tantillo veteris rhenani vel alterius balsamici, juscula carnium consummatoria ex animalium extremis, alterata herbis acetos. endiv. cichor. &c. quæ aliquam sanguini consistentiam & firmitudinem conciliant. Sæpe pisces conducunt carnem habentes solidam, ut cancri fluviales & marini, gammari cum squammis, rajæ, soleæ, passeres, & imprimis ostrea cruda sine pipere aut acido, habent enim hi pisces sal fixum & viscidum aliquod, quod acre acidum obtundit, & egregiè resistit sanguinis colliquationi. In viscido autem catarro abstineatur ab his &c. quæ pituitam augent; potius illam incidentia sumant, cibos aromatis, nucci muscata, macer. cinamom. conditos, & herbis incidentibus. Ante vel cum cibo capiant spiritus & sales volatiles atque aromaticos, sp. sal. armon. cum aq. R. Hung., elix. prop. vinum medicatum herbis, absinth. card. bened., centaur. min. &c. ad promovendam bonam chylificationem. Pro potu ordinario cerevisiam lupulo bene saturatam, aut leve decoctum guajaci. Calidioribus verò decoctum hordei cum glycirrh. & lign. santal. &c. julap. ex rasur. C. C. cum endiv. scordio, rad. scorson. &c. convenient. abstinentium verò quantum fieri potest à potu copioso, nisi reddatur bene per habitum & renes, etenim tum confert dilutioni acrimoniæ, atque eum in finem tum proficuum est, infusum Koffee, thee, dummodo caveatur sedulò, ne immodico horum

rum usu ventriculi enervetur tonus , quod s̄epe contingit. Vina hoc in casu laudantur balsamica , malvaticum imprimis chalybeatum ad ʒj. aut ʒiſ. mane jejunis , & aliquot horis à prandio exhibitum , spiritus suscitat , corrigit acrimoniam , & glandularum obſtructions ſolvit. Laudandum & rhenanum vetus , cui iuſi ſint oc. cancr. , vel ſimplex , atque hujus largior haſtus , quo ſolo promota diaphoresi , non raro catarrhus levior ſolvitur. Aëris quantum potest vitentur mutationes ſubitanæ , eligatur purus & ſerenus , in affectibus , exercitiis , &c. ſervetur moderamen. Ve- rum plura huc , & ſpecialiora adducere , ſuperſedeo , cum circa hæc , & alia quæ huc attuli , & quæ adferri poſſent plura , vix aliiquid in genere de- terminari poſſit ; tanta diversitatis cauſarum , individuorum , & conſuetu- dinum viſ eſt ! Adeò ut cum Hippocrate lib. de vet. Medicin. dicendum videatur , quod uni incommodeum eſt , alteri eſt commodeum & conve- niens , que huic homini concocta & temperata ſunt , aliis , imo eidem tempore di- verſo , cruda , intemperata , & fortia dici debent , nunquam enim eadem afflictiō ab hiſ ſimi- busque provenit , neque cuicunque ; atque adeo elegantissimè & apprime ad rem dixerit Seneca lib. 1. de ira. cap. 16. Si intraſſem in valeſudinariū exer- citatus & ſciens , non idem imperaſſem omnibus per diuersa agrotanib⁹.

COROLLARIA.

I.

LIquorem ventriculi fermentaceum , naturaliter non opor- tet ſemper eſſe acidum , ſed ut menstruum universaliffi- mum , conſtare variā aquæ , olei , ſpirituum , ſalium , acidorum- que naturæ diuerſe mixturā.

II.

Uti sanitas , ita omne quod Medicē eſt contra vel p̄ter na- turam , eſt quid positivum.

III.

Hinc & omnia ſymptomata veram habent eſſentiam ſuam.

IV.

Medicamentorum quæ purgantia dici ſolent , viſ , conſiſtit in excitatione , talis fermentationis , quam ſequitur plerumque ſeparatio & evacuatio quarundam particularum à M. S.

V. Quo

V.

Quo ex fundamento fluit , quod licet natura non utatur electio-
ne , uti quidam sensere quondam , nihil obstat tamen , quin
dentur præ cæteris certum hunc vel illum eduentia humo-
rem , b.e. unum per hoc , aliud per aliud menstruum melius
separari & evacuari.

V I.

Atqne adeò non quoad quantitatem differre , sed quoad sub-
stantiam purgantia.

V I I.

Neque simpliciter evacuantia semper eſſe , sed & simul alteran-
tia , unde in corpore retenta , nulla licet subſequente evacua-
tione , tantum abeft ut instar venenorum (uti vulgo conſide-
rantur) noceant , ut potius non paucos illis curari morbos ,
experientia doceat.

V I I I.

Tandem lenientia quæ dicuntur , ſæpe toto diſtare cælo à pur-
gantibus , quin non raro contraria eſſe.

I X.

Opii vis partim in diſcūſſione , partim in incrassatione conſtit.

F I N I S.

